



## PRÆFATIO.

**A**ffici morbo, molestum est.

Ferunt tamen ægri hanc molestiam facile,  
dum spes curationis supereft.

Dum vero post diuturnum multorum medi-  
camentorum usum morbus non tantum non leva-  
tur, verum redditur adhuc pejor, tunc malum  
oritur, quod morte ipsa est acerbius.

Etenim ægri, qui continuis miseriis divexan-  
tur, omni momento vitæ finem precantur, ex-  
optant.

Non inutilis igitur erit labor, qui ad curandos  
graviores morbos, & ad detegenda nova ac effi-  
cacia remedia impenditur.

Her-

## P R A E F A T I O.

Herbæ venenatæ nobis multum promittunt.

Demonstrant id experimenta, quæ hisce pægallis de *Stramonio*, *Hyosciamo*, & *Aconito* enrancuntur.

Harum quidem herbarum virtus specifica his nondum determinatur; nam plurimum hucusque in eo versabar: ut doceam primo, qua ratione hæc fine noxa possent dari ægris, & ut prævie dein indicem, in quoniam morbo videantur convenire.

Interim certus sum, eum, qui exacte in experiundo fuerit meam normam secutus, nocitum nemini, & profuturum plurimis.

Additur huic opusculo plantarum effigies, ære excusa, ne tam facile in colligendo errores contingant, aut inutilia inter medicos foveantur litigia.

CA-